

HIERONYMVS DE PRAGA.



Hieronymus ille Pragæ in Bohemia natus à te-
neris annis operam literis dedit, atq; diligen-
ti studio & felici ingenio effecit ut breui hinc inde
in Academijs uerius eruditione nulli secundus
existeret. Accedebat etiam morū grauitas & uitæ
integritas. Hic cum Husi doctrinam examinasset
atq; cum sacris literis contulisset, eandem magno
animo complexus, Husi familiaris & studiorum
collega factus est. Cum etiam Hussum ad Conci-
lium iturum perspiceret eum consolatur & adani-
mat, ut nimirum uirtutis memor rem grauiter pro
Christo & ueritatis incolumente gerat. Quod si e-
tiam eueniat ut res ipsa opem operamq; suam desi-
deraret, intellecturum eum quod nec pietati neq; officio suo defuturus sit. Is
cum anno 1415 audiret patriam ab aduersarijs multis calumnijs premi, Iohan-
nem quoq; à Concilio indignis modis uexari, quarto die Aprilis Constatiam
uenit. Ibi cum sibi insidias strui cognouit, postridie se Vberlingam oppidum
Imperiū uno miliari ab urbe distante recepit, ne se sciens & prudens in pericu-
lum coniiceret.